



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXXIV. Epilogus, & conclusio totius operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

CAPUT XXXIV.

Epilogus, & conclusio totius operis.

EN itaque nos, amice Lector, ad supremam provectorum perfectæ illius charitatis metam, quæ jubet DEUM diligere non modo plus aliis quibuslibet bonis, quodvis nempe ejus placitum ante illa omnia ponendo; sed & unum quodammodo inter quælibet bona, nullum scilicet ex iis diligendo, quod non præcipue causâ illius diligatur; adeo ut quem admodum in simplicissima ejus essentia multiformis creaturarum quarumlibet rerum amabilitas eminenter colligitur, sic in purissimo quoque ejus amore universa cæterorum quorumvis amorum varietas, tanquam in communi centro, atque fine cum exuperanti perfectione adunetur.

2. Ad solidum hujusce tam perfecti, & Seraphici amoris fundamentum ponendum conati in prima parte operis sumus, quam maximè vividam, sublimemque, & magnificentam excitare singularium DEI perfectionum notitiam: quæ, licet pro infinita, & penitus
in-

incomprehensibili sua magnitudine perspicere à nobis nequeant, nisi secundum minimam earum partem, nec aliter, quam ut in obscurissimo ænigmate, nimirumque idcirco diversa à genuina sua specie; nihilominus ea ipsa tam tenuis, tam confusa, tamque impropria, & aliena imago, sub qua illas concipimus, tam est eximia, ut vel exaggeratissimam creatorum quorumvis objectorum representationem excedat, & sufficiat ad omnem in anima eorum æstimationem delendam, & ad totas hominum mentes sui unius admiratione, totas voluntates suo duntaxat amore occupandas.

3. Tum porrò in secunda perreximus de illis differere erga DEUM ita cognitum animæ affectibus, qui per se ipsos, & aliquando citra præviam deliberationem, ex magni alicujus boni cognitione proveniunt, neque solum absque ulla difficultate, sed quasi necessario concipi solent erga personam bono illo præditam. Qualia primò sunt altissima æstimatione tum ipsius DEI, tum rerum omnium quæ ad eum pertinent, ut eidem servire, ejus amicum esse, & perfectè ei conjungi in cælo; quæ necessario omni humana gloria, & felicitate pluris faciet, quisquis infinitam rite perceperit supremi illius Entis, ad quod re-

K k k

fe-

feruntur, præstantiam. Secundò humillimæ submissiois, ac reverentiæ sensus cor tantæ majestatis, potentiæ, & magnitudinis Domino eliciet. Tertiò amore erga ipsum non vehementi duntaxat, & fervido, sed dulci itèm, ac jucundo, hilari, plenòque fiducia exardescet, qualem meretur tum incomprehensibilis illius pulchritudo, tum plus quàm paterna, omnémque aliam excedens in nobis amandis benignitas. Quartò omnes eos actus, qui exerceri ab amantibus solent, erga personas peculiariter dilectas, & ad quos erga DEUM exercendos ardens, intimusque illius amor succensas igne suo animas incitare consuevit, frequentabit, præcipuèque undecim sequentes: nimirum de nulla re jucundius, quàm de illo cogitare: quàm plurimum, suavissimèque cum eo agere, tanquam cum indulgentissimo Patre, vel amicorum fidissimò: pro familiarium sermonum materia, & ordinario loquendi argumento illius decora habere: flagrantibus votis illius in cælesti sua Regia aspectum desiderare, mortem quasi auroram beatissimæ illius lucis cupidè, hilaritèrque expectando: de infinita illius beatitate, & præstantia, non secùs, ac si propria esset, gaudere: pati non posse, quòd plerique hominum tam parvi illum æstiment, tótque

in.

injuriis laceſſant, deſiderando contrà, ut quàm
 latiffimè per orbem terrarum illius notitia,
 cultus, & veneratio propagetur: acerrimo
 cum doloris, & pudoris ſenſu deteſtari præ-
 teritam ſuam in eo toties offendendo temeri-
 tatem: perhorreſcere ultra extrema quævis
 mala omne criminis genus, quo infinita ejus
 Majeſtas graviter læditur: omni ſtudio cura-
 re, nè interior ſui animi ſpecies quidquam
 minùs gratum illius oculis præferat, imò ma-
 giſ ſemper, ac magis ei placeat: pleniffimum
 ei arbitrium in ſuas res omnes permittere, &
 quidquid contrà ille poſſidet, non aliter, quàm
 ut propriam ſuam rem intueri: poſtremò di-
 vinam quoque illius voluntatem ſuam face-
 re, quidquid eo decernente in rebus humanis
 evenit, ſubmiſſè approbando, & volendo.
 Quos actus, ſenſùſque amoris nemo non vi-
 det, facilè, imò etiam ſuaviter, ſaltèm intrà
 aliquem gradum poſſe ab omnibus concipi,
 qui ex attenta primæ partis lectione ſublimè,
 ac præclaram DEI ſpeciem animo hauſerint,
 & huic conſentaneum objecti tam præſtantis
 amorè excitare in ſe ipſis ſtuduerint. Quam-
 obrem de iis differentes nihil penè aliud egi-
 mus, niſi demonſtrare, quàm facili deriva-
 tione, & quaſi ſua ſponte ex præcedenti illo
 animi habitu profluant, móxque ad planio-

rem eorū praxim reddendam peculiare modos subjungere, quibus possit unusquisque exerceri.

4. Sed quia ad omnimodam perfectionem illius absolutissimi amoris, quem infinita DEI amabilitas exigit, nequaquam ii tantummodo actus, affectusque sufficiunt, quorum facilis cuique exercitatio est, præsertim si ipsomet suo genere ultra mediocritatem non exeant; sed necesse est, ut & horum vis, atque intensio, quantum potest, plurimum incrementi capiat; & nihil præterea vel maxime ardui, quod è majore sit DEI gloria, omitatur; idcirco in tertia hac operis parte supremos designavimus terminos, quò progredisummus, & heroicus DEI amor debeat, duas scilicet conditiones, integritati, & plenitudini illius necessarias: alteram, ut superior in anima quibuscunque à se diversis amoribus sit; alteram, ut quoscunque alios amores ab anima excludat. Jam verò primam dictarum conditionum explicare ingressi, tunc amorem divinum quibuscunque aliis prævalere in anima diximus, quando hæc quibuslibet aliorum amorum objectis semper, & ubique præferat illius objectum: hoc est majori in pretio, & amore DEUM habet, quàm quicquid æstimari, & amari rerum creaturarum potest.

nè se ipsâ quidem exceptâ, idque triplici modo: primò ità, ut deliberatissimum habeat, quævis potius bona perdere, seu mala subire, quàm DEUM gravi crimine offendere. Secundò ità, ut æquè certa sit, ex nullius unquam seu boni amore, seu mali formidine vel leviter contra ipsum peccare. Tertiò ità, ut simili voluntatis decreto purũ illius placitum, & majus obsequium suis quibusque rationibus præferat: paratissima, si gratius ei sit, aliquid à se fieri, vel omitti citra ullam consultationem extemplo illud facere, atque ab hoc faciendo abstinere, tametsi rerum omnium, quæ charissimæ hominibus sunt, fama, libertatis, vitæque ipsius facienda sibi esset jactura. Ubi etiam duo notatu digna pro ulteriori hujus tertii gradûs perfectione subjecimus: primum, quòd cum circa res plurimas perobscura, & incerta hominibus voluntas DEI sit; parùm à se hanc diligi prodit, qui certissimam illius in re quavis pernoscendæ rationem non quærit, ac proinde cum nulla præter obedientiam sit ratio, per quam de divina voluntate in omnibus certi esse possimus; qui hanc vel semet ipso chariorem habet, nullaque vel minima in re per inscitiam aberrare ab ea vult, obedientiam totius vitæ suæ moderatricem sibi eligat est necesse. Se-

cundum, quòd cum amans DEI anima nunquam possit tam multa ad placendum ei facere; quin plura, & plura præterea æquè illi, ac magis placitura in infinitum supersint; cur tam suarum virium mensuram debet amplitudine desideriorum supplere: protendendo hæc nimirum, quò illis haud licet pertingere, nullumque relinquendo in tota infinitate honestorum, & placentium DEO actuum, quem plus ei gratificatura, vel non faciat, vel saltè facere posse non cupiat.

5. Quibus rite pertractatis, quod supererat, demonstrandum suscepimus, ad summam divini amoris præstantiam neque hoc ipsum sufficere, ut superior in anima quibuslibet diversis à se amoribus sit; sed alteram quoque ex duabus supra memoratis conditionem requiri, ut omne videlicet hujusmodi amorum genus ab anima eliminat; neque enim perfectissimè amari DEUS potest, nisi juxta charitatis præceptum, *ex tota anima* ametur, vel *ex tota anima* amari, si in eo amando nequaquam universas vires suas colligit, sed in alia plura objecta, pluresque alios amores dispertit; per quam tamen conditionem advertimus, non excludi à perfecto DEI amore alios rerum cæterarum amores; sed illos duntaxat, qui in eas purè ipsarum gratiâ, & sinè ullo
DEI

DEI respectu feruntur: cum alioquin, qui in creata objecta sic tendunt, ut DEUM potius, quam ipsa pro incitamento, & fine habeant, nequaquam à divino diversi, sed unum quid cum eo sint, secundum eam Philosophi regulam: *Ubi unum est propter aliud, ibi est unum tantum.* Quò autem dilucidior conditionis hujus sensus, planiorque usus foret, recensuimus, quanam ex objectis creatis propter DEUM amari à nobis possint, ac debeant: primò nempe omnes Sanctos, qui unà cum ipso cælesti gloria fruuntur. Secundò omnes homines, qui nobiscum vivunt, nè inimicis quidem exceptis, imò etiam specialius comprehensis. Tertiò nosmet ipsos, quantum ad ea corporis, & animæ bona, quæ vel necessaria, vel utilia ad serviendum Deo sunt: vera simul, & propria ratione explicata, unumquodque eorum propter DEUM, Deumque in unoquoque eorum amandi.

6. Jam verò animadversis iis bonis, quæ ad DEO serviendum nos adjuvant, amarique sinè detrimento, imò ex impulsu divini amoris possunt; ad alia observanda nos vertimus, quorum amor perfecto DEI amori adversatur, nec ab iis, qui hunc consecantur, foveri in anima, sed extinguì penitè debet: cuiusmodi sunt divitiæ, corporis voluptates, li-

ber arbitrii usus, vanæ mentis oblectationes, & splendida propriæ excellentiæ æstimatio. Cùm itaque nihil magis, quàm bonorum huiusmodi amor, divinæ charitati sit contrarium; generale attulimus, præsentissimæque contra eum virtutis remedium: quæ sita videlicet ab eo bona ubique averfari, & fugere, quæque iisdem sunt contraria optare, & eligere. Quod remedii genus singulis deinde prædictorum bonorum amoribus perreximus speciatim aptare: demonstrando opus esse, ut, quisquis efficaciter cupit, quàm perfectissimè DEUM diligere, omnemque rerum creaturarum amorem sanctissimo illius amori contrarium, quoad fieri potest, suo in corde abolere; primò quavis opum externarum possessione se abdicet, omnimodam earum locò paupertatem sibi eligens. Secundò fugiat, quidquid volupe, & quærat, quidquid est molestum suis sensibus. Tertiò quocunque voluntatis propriæ usu sibi interdicit, studens eam ubivis oppugnare, & subigere. Quartò eadem severitate utatur contra supervacuas mentis oblectationes, nunquam innato earum appetitui indulgens, sed quocunque illius motus retundens. Quintò perpetuum, & irreconciliabile bellum indicat præclaræ civis æstimationi, quam aut ipse de se,

se, aut alii de illo possent concipere, annitens omni studio, eam impedire, & quàm maximè abjectus cum sibi met ipsi, tum quibuscunque aliis videri.

7. Postremò contra heteroclitas, & subtiliores, quàm solidas nonnullorum ideas statuius nequaquam vel perfectissimo, & summo erga DEUM amori obesse, si propter ipsum ea ipsius dona amentur, quæ seu peculiari adjumento nobis sunt ad majorem in ejus famulatu, & sanctiori vita profectum, veluti spiritualis lætitia, quies animi, perspicua rerum divinarum cognitio, jucundus charitatis fervor, facilitas rectè operandi, & ejusdem generis alia; aut perfectiores in ordine supernaturali, Deoque acceptiores nos reddunt, veluti Christianæ virtutes, gratia sanctificans, & cælestis gloriæ æterna possessio: imò tantum abesse, ut ad DEUM perfectiùs amandum omni se affectione erga similia bona exuere homo debeat, ut ab ipso DEI amore ad ea omni studio sibi paranda, & thesauri pretiosissimi locò habenda incitetur.

8. Quæ omnia, hoc ordine pertractata, quisquis sedulò observet, diffiteri minimè poterit, præstitam in nostro opere à nobis fuisse, quam in ejus titulo polliciti sumus, reductionem totius sanctioris vitæ ad divinum

amorem, veluti ad universale suum principium, atque ultimum finem. Cùm omnium exercitatio virtutum, quæ instar partium, Christianam perfectionem constituunt, seu tanquam instrumenta subsidio sunt ad plenius eam consequendam; à DEO, quasi à primario, & altissimo participatæ totius honestatis fonte, cernatur hic causam ducere: nihil aliud in quolibet suorum actuum proposito, & fine supremo habens, nisi aut sanctissimam illius voluntatem peragere, eique, quantum maximè potest, gratificari, & placere; aut tollere ab anima, quidquid intimiori cum eo conjunctioni obest: adeò ut perpetuus tota possit, & verissimus DEI amor vocari.

9. Reliquum est, amice mi Lector, ut tam ego, quàm tu, toto pectore incumbamus ad amandum, quoad utriusque vires ferunt, nostrum hunc infinitè amabilem Dominum: perpetuò habentes præ oculis hinc excelsissima admirabilis naturæ ipsius decora, quibus nostrum esse, inò & omnem nostrum captum tam immenso intervallo transgreditur; indè verò singularia, nusquam alibi audita, & omni admiratione majora effusissimæ illius bonitatis prodigia, in nostro nihilo amando, & eatenus quidem amando, ut mi-

ni

nimè dubitaverit, è servili nostra conditione in suæ amicitia nos fœdera, & filiorum fortem assumere, promiscuamque nobiscum consuetudinem suas delicias vocare. Ex hac siquidem duplici consideratione amor erga illum exister, nedum quovis alio creatarum rerum amore vehementior, utpote erga Ens infinitè augustum, infinitè bonum, infinitè pulchrum, infinitè perfectum; verùm etiam quàm maximè hilaris, & jucunditatis, ac fiducia plenissimus, utpote erga aliquid nostrum, & quidem inter nostra omnia præcipuum, nostram possessionem, eamque æternùm mansuram, nostrum Parentem, eumque incomparabilis indulgentiæ, ac pietatis, nostrum amicum, eumque omni alio fideliorum, ac benevolentiorum, nostrum bonum, idque summum, & ad perfectam beatitudinem per se unum sufficiens: adeò ut horum rite gnari, atque memores cum nullo conjunctissimorum sodalium jucundiùs, quàm cum illo agamus: de nulla re, quàm de ipso, seu libentiùs cogitemus, seu crebriùs, & sardiùs loquamur: nihilque aliud flagrantioribus votis suspiremus, quàm eum coramintueri, quàm ei magis usque, ac magis placere, quàm, quidquid est mortalium, ad illius

lius

lius cultum, amorémque perducere: atque hæc sit præcipua nostri gaudii materies, hoc potissimum quarumvis ærumnarū solatium, quòd certò noverimus, DEUM illum, quem plùs nobis ipsis diligimus, nulla re indigere, vitam bonis omnibus refertissimam ducere, suâque in essentia possidere, quidquid concipi, & suprâ etiam, quàm concipi perfectiōnis, ac beatitudinis potest: quemadmodum è contrario nulli casus adversi tantum nobis queunt mœroris afferre, quantum afferat tum fœdissima, & ubique obvia supræ illius Majestatis apud plerosque mortales contemptio; tum animo insidens gravium tot scelerum à nobis quoque contra eandem patrorum memoria: quæ nunquam sinè extremo horrore, alitèrque, quàm ut summum malorum spectemus, certissimi sexcentas potius mortes subire, quàm tantum Dominum vel eorum uno deinceps offendere: imò certissimi, nolle unquam in posterum, quancumque nostri boni, aut mali respectu, vel levissima in re ei displicere: sed in omni potius vitæ actu sanctissimam illius voluntatem pro amissi, & regula habere: utpote quam humanis quibusque nostris commodis, studiisque, & propensionibus longè antefere-

mus;

mus: neque possumus aut non plenè approbare in omnibus, quæ circa nos decernit, aut non promptissimè exequi in omnibus, quæ à nobis requirit. Qua vivendi ratione omnes partes, & numeros perfectissimæ erga DEUM charitatis implebimus, plùs nempe illum nobisinet ipsis, & quibuscunque aliis rebus amantes, imò neque nos ipsos, neque aliud quidquam amantes sinè ejus impulsu, qui unus nobis est omnia, quémque pro universali nostrarum operationum, nostrorum affectuum, & totius vitæ nostræ principio, atque ut cuncta uno verbo complectar, pro ipsius nostræ animæ anima ducimus.

10. Ah Lector charissime! numquid non tibi videtur noster hic infinitè adeò, & in se amabilis, & nostri amans, DEUS promereri, ut hoc pacto eum diligamus, ut sic toti ejus simus? An non palàm perspicias, amatoriam hanc nostri in eum transformationem summum esse felicitatis gradum, ad quem possit evehi humana conditio: quòdque ipse dignetur ad eum nos admittere, præstantissimum esse inter munera, quæ ab ipsius infinita cæteroqui bonitate proficisci in nos queunt? Age igitur, volumúsne aliquando tam insigne ab eo munus accipere, tam justum ei

ve-

vectigal persolvere? Ah velimus, si sapimus,
 & confestim sinè ulla comperendinatione
 hoc ipso temporis, ac loci velimus: pro cer-
 tissimo habentes, nihil posse à nobis decerni
 æquitati congruentius, quòdque allaturum
 nobis plus sit emolumentum, dignitatis, & gau-
 dii. Ità sanè, illud summum, omnigenum,
 immensissimum bonum, cujus gratiã vitam,
 sensum, & amandi facultatem accepimus,
 quo beati, & sinè quo in summa reliquorum
 affluentia bonorum pauperrimi, ac miserrimi
 sumus; sit posthac nostrorum votorum
 meta, nostri cordis quies, nostri centrum a-
 moris, nostra summarum summa: *DEUS
 meus, & omnia.* O vitæ genus beatum, hu-
 mano altius, cæleste, divinum, non vivere,
 nisi propter *DEUM*, nisi in *DEO*, nisi
 de *DEO*! Felices nos enimvero, si hujus-
 modi vitam deinceps duxerimus. Ego cer-
 tèm mira quadam cupiditate illius teneor, ni-
 hilque ægriùs fero, quàm quòd plus nimio
 eam inire distulerim; miserrimè dividens,
 pèrque bona creata, seu veriùs inanes boni
 umbras, hac illac dispergens meum cor, pro
 eo ut totum, atque integrum colligerem in
 vero, & summo bono, in quo uno fas illi est
 sincerum gaudium, solidam requiem, per-
 fe.

fectamque satietatem nancisci. In summa, nimium quam mihi pulchrum, & beatum videtur, DEO totum me impendere, uni DEO vivere, nihil præter DEUM velle, amare, & sentire. Quosnam in tuo animo veritates, doctrinæque hujus operis motus excitaverint, non est mihi promptum divinare; illud utique compertissimum habeo, veros DEI famulos earum consideratione mirum in modum affici, & commoveri sole- re: nec satis intelligo, quonam pacto possit quisquam iis mentem advertere, quin simi- les motus, affectusque concipiat. O maxi- me, & plus quam maxime DEUS! ô im- mensum perfectionis, bonitatis, & pulchri- tudinis pelagus! ô amandum ab omnibus, nullique sat amabile objectum! Quænam hæc sunt inauditæ novitatis prodigia, repe- riri in mundo hominem, cui tu non sufficias, qui se tibi totum devovere, & tuus omnino esse abnuat? Ah! nè ego saltèm talis, nè ta- les Lectores mei sint. Vel amare, vel mori. Hæc votorum summa: hoc unum tam mihi, quam iis omnibus longè præstantissimum munus ab immensa bonitate tua flagito: *Su- scipe, Domine, (libet meum opus piissimis B. Ignatii Loyolæ verbis concludere) suscipe, Do-*

Do-

Domine, universam meam libertatem: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi eorum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem Tui solum, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Amen, Amen, Amen. (In Exerc. Spir. Contempl. de Am. Divino.)

FINIS.

